

## 918 Contradicentium Medicorum,

cens quod pulmo in pectoris vulnera cessa-  
at à motu, non quia non possit trahi cessante  
vacui ratione, sed quia ex vulnera refrigeratus est. Et ad aliam rationem rursus dicit  
si pulmo cessat cessante pectori, & ob id à  
pectore mouere creditur, igitur pectus ea-  
dem ratione moueri à pulmone dicitur, quia  
cessat à motu, cessante pulmone. Et dicit  
ad primam rationem dans aliam responsio-  
nem, quod per consensum lèditur pulmo in  
pectoris vulnera. Inde adducit rationem  
contra Galenum, dicens si pulmo moueretur  
à pectori vacui necessitate, violenter moue-  
retur. Propterea concludit quod principium  
motus voluntarij est musculus, & naturalis  
cor. Et ideo ab illius virtute mouentur spon-  
te pectus & pulmo, altero alteri consentien-  
te. Respondeo quod pectus dum extenditur  
per fibras dilatatur pulmo, & trahit aërem,  
& dum trahit parte illa extenditur totus ea-  
dem vi, atque ita impletur spiritu. Et sic sunt  
perfectè concordes.

### CONTRAD. XLIV.

*Definitio nominis an utilis?*

**G**alenus quarto de differentiis pulsuum  
ostendit definitiōnē nominis esse  
prorsus inutilem hoc argumento: nam vel  
rei essentia est cognita, & ita illa definitio  
est superflua; vel ignota & sic non necessa-  
ria, cum res indigeat longa declaratio-  
ne, ob id dicit præstat incipere ab explicatio-  
ne prolixa terminorum: inde accedere ad defi-  
nitioñem in eodem libro dicit definitio no-  
minis non debet iungi definitioñi essentiæ,  
sed ex cognitione vnius in aliam expedit  
peruenire, igitur utilis est. Item in eodem li-  
bro dicit quod definitio nominis in duobus  
tantum casibus necessaria, primò cum no-  
minis rei de qua agitur significatum est  
ignotum; secundò cum est contentio de no-  
minis significato cum aliquo sophista, tunc  
expedit nomen illud definire, in aliis inquit  
casibus est superflua; igitur non semper est  
superflua. Aristoteles etiam in secundo pos-  
teriorum eam ponendo, comprobare vide-  
tur. Respondeo vult in prima autoritate  
contradicere his qui omnia definitiōnibus  
tractant & hoc testatur, ideo dicit neque  
tyronibus definitioñes essentiæ ab initio  
sunt utiles, quantumvis enim diligenter ex-  
plices, & sis eloquentissimus, obscurus ta-  
men euadis.

### CONTRAD. XLV.

*Totæ Medicina an tradenda ordine  
definitiōnē.*

**T**otam medicinam in arte medica Gale-  
nus profitetur se traditurum in illo li-  
bro ordine definitiōnē: Quod tamen repre-  
hendit quarto de differentiis pulsuum, ubi

damnat eos qui omnia definitiōnibus doce-  
re conantur. Respondeo solutio est quod  
his tradit doctrinam, non docet imperitos:  
nam inquit ibi, ad docendum imperitos neu-  
tra definitio utilis est ob breuitatem, cum  
illi indigent prolixa explicatio-  
ne.

### CONTRAD. XLVI.

*Libri de Artium constitutione an duo,  
vel unus.*

**G**alenus in fine artis medicæ suadet duos  
libros de artium constitutione, ante li-  
brum de constitutione artis medicæ legen-  
dos esse. Vt cum libro de constitutione artis  
medicæ omnes tres sint qui artium consti-  
tutionē agant. Sed idem in libro de consti-  
tutionē artis medicæ, inquit. [ Vt cum me-  
thodo perdiscere curares artem o Patrophy-  
le, librum unum de constitutione artium  
composui, quem propter magnitudinem in  
duos divisi. Alterum ac secundum quem  
nunc inchoamus aperientem quoniam pacto  
eadem atque una ratio, ac via medicinam ut  
cæteras artes constituerit. Et verò sumen-  
dum iam his sermonis exordium est. ] Res-  
pondeo alterum ac secundum ad primam  
diuisionem referri debet: vt sit sensus: duos  
composui libros, in primo docui quod om-  
nes artes ex finis notione procedunt, altero  
docui non secus medicam artem atque alias  
ex finis cognitione procedere: Verùm pri-  
mus liber cum esset admodum magnus in  
duos est diuisus, qui ambo iam erant abso-  
luti. Itaque hoc modo tres sient. Hæc est  
explicatio potius quam contradicatio.

### CONTRAD. XLVII.

*Sanum & salubre, ægrum & insalubre  
an differant.*

**N**ihil autem differt seu νοσόν εἰ νοσήν  
quis dicat. Interpretatur Leonicenus  
in libro artis medicæ per νοσόν insalu-  
brium; per νοσήν ægrotum, vt sit hoc dis-  
crimen quidem inter verba Græca, sed quod  
Galenus ex sententia illud tollat. Ad quam  
sententiam facit quod paulò post Galenus  
vtendo hoc nomine νοσῆσε, idest vt Leon-  
icenus exponit insalubre, subiicit hæc ver-  
ba: [ Insalubre nunc verò est corpus, quod  
eo tempore quo tale dicitur ægrotat: neque  
obscutum est & hoc ipsum eo quo dicitur  
tempore ægrotas.] Itaque constat quod inter  
insalubre & ægrum nullum facit Galenus  
discrimen. Oppositum tamen obseruat Leo-  
nicenus in traducendo qui primum pro  
νοσῷ modò ægrum, modò insalubre vertit;  
sed potius ægrum; pro νοσῆσε autem insa-  
lubre, vt distinguat Latinè inter insalubre  
& ægrum. Et ad hoc viderūr facere Galeni  
authoritas dicentis parum ante: Καὶ τὸ εὐ-  
στικὸν σῶμα τὰς ψυχὰς, inde subiicit pau-  
lo post